DE ANIMI PATHEMATIBUS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN...

Filippo Cisco

29

DE

ANIMI PATHEMATIBUS

Dissertatio Inauguralis

QUAM IN ANTIQUISSIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

MEDICINAE LAUREAM

RITE OBTINENDAM

PUBLICE PROPONIT

PHILIPPUS CISCO

VICETINUS EX BRENDULIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVII.

Neminem profecto fugit maximam ac propemodum admirabilem esse affectionum animi in animalem oeconomiam vim atque efficaciam; eusque modo parere morbos ac gignere, modo jam exortos sanare ac penitus profligare. Jam vero ex mutua illa mira agendi ratione, qua corporis animique communio continetur, sequitur, ut variae corporis conditiones, varia quoque animum afficiant ratione, pariterque diversis animi affectionibus, multifariam functiones diversae corporis incitentur, perturbentur, invertantur. Quibus mecum etiam atque etiam perpensis, hanc in re medica maximi faciendam esse quaestionem non immerito, ut opinor, existimavi. Quamobrem, Praeceptores celeberrimi, humanitate, ingenio ac doctrina praestantissimi pro disputationis argumento illam mihi selegi, quam velut mei, in studiis mox peractis, progressus specimen nunc in medium profero, dum honoris praemium a perantiquis hujus celebratissimi Archigymnasii disciplinis pollicitum imploro. Scio equidem, id exigui mei ingenii viribus haud par esse, sed tamen non temeraria spe fretus opus aggredior; quidquid enim mancum, imperfectum

atque incompositum in eo est, benigno prosecuta favore humanitas vestra ac sapientia additura atque emendatura erit.

Principio autem animadvertendum est, nonnullos auctores altius rem repetentes, discrimen statuere inter affectus et pathemata. Affectus appellant *propensiones* illas, a corporis organismo, vel indole proficiscentes; pathemata vero *perturbationes*, quae data occasione ex illis propensionibus enascuntur: atque inde affectus ad pathemata talem rationem habere putant, qualem in re medica causa remota praedisponens, ad proximam. Neque huic sententiae celeberrimus Zimmermannius adversari videtur, quin imo etiam illud addit, quod plures affectus una consistere possint, non autem plura pathemata.

Verumtamen ut in hac dissertatione oppositiones quoad fieri potest vitemus, praestat, quae magis perspecta sunt atque in aperto posita consectando, distinguere sensum illum voluptatis ac molestiae, qui in animo excitatur ab actione stimuli vel externi, vel interni in aliquam sensiferam corporis partem, ab illis animi affectionibus, quae vulgo pathemata audiunt. *Sensu et voluntate*, Hallerus ait, *natura animalis proprie continetur. Voluntas est actio animae, qua aliquam suam conditionem praefert alteri conditioni.*

Animi autem adfectus vel pathemata cum supradicto celeberrimo Hallero appello, *vehementiores quasi concitatae mentis fluctus, quibus ad obtinendos fines acrius incitatur.* Alia profecto pathemata lente operantur;

alia contra celeriter atque in prompta gerunt. Illa animalem oeconomiam pedetentim exedunt ac furtim destruunt; haec citius atque vehementius perturbant ac labefactant ita, ut mors ipsa aliquando extemplo sequatur.

Omnia itaque pathemata in duas classes a celeberrimo Hartmanno dividuntur: in ea nimirum quae vim vitae efferunt atque interdunt, *pathemata excitantia* dicta, et in ea quae eam deprimunt, *pathemata deprimentia*, excitantia vero in *grata* et in *ingrata* subdividuntur. Omnia tamen pathemata non omnes corporis partes aequo modo excitant, vel deprimunt, sed aliquas primitus ac eminenter praediligere videntur; quapropter aliud in systema sanguineum suam praesertim vim exerit, aliud in nervosum, aliud in aliud, et saepenumero pluribus ac dissimilibus modis; imo contrarie aliquando diversas partes corporis adficere videntur. Itaque illae concitationes ac depressiones rectius, ni fallor, perturbationes incitamenti vel aucti, vel imminuti appellandae sunt.

Ceterum pathematum doctrina densa caligine adhuc obducitur, neque praeter eorum conspicuos effectus, multa sunt quae firmis fundamentis saffulta de illis prodiere. Nec vero effectus (quorum perspicientia praesertim medicorum interest) semper ita clare atque aperte definiuntur, ut nullus in iis aestimandis ambiguitati relictus sit locus. Jam vero ex uno eodemque pathemate, pro varia sua vehementia et corporis constitutione plus minusque diversi effectus exoriantur; nam si pa-

themata limites moderationis non excedunt, novam vim ac robur organismo addunt; et haec utilia et saluberrima consideranda sunt. Quod si nimia vi atque impetu agant, vitam sensiferam nimium intendunt, functiones mentis perturbant, motus musculares inordinate exagitant, respirationem, circulationem, secretionem excretionemque impediunt atque invertunt. Pro varia autem corporis conditione diversi sunt effectus, qui etiam nonnunquam specimen ac similitudinem habent eorum, qui alterius diversi pathematis proprii observantur. Ex hoc fit, ut qui magis exquisita imaginandi vi et alacriori nervorum potestate, gaudent, facilius ab animi adfectibus corripiantur, illorumque citius atque acrius actionem persentiant; quare animi adfectiones validiores atque intensiores in iis qui plus ingenio valent, conspiciuntur. Qui sanguine abundant et majoribus instruuntur viribus, in iis effectus pathematum excitantium ceteris paribus vehementiores sunt, et tales, qui sine periculo persentiri nequeant. Praeterea qui aliqua corporis parte laborant, magis proclives sunt ad illas animi adfectiones, quae quadam peculiari actione partem illam prae ceteris diligunt, et ab ipsis magis laedunur.

Quae cum ita sint, nihil est cur miremur, si in effectibus pathematum referendis multa observatur in auctoribus varietas. Atqui etsi diversa pathematis vis ac diversa corporis conditio aliquatenus effectus mutent ac muderentur, tamen omnium effectuum collectio, etiamsi aliquam varietatem contineat, aliquem

nihilo secius aspectum pathematis, unde efficiantur, praeseferunt. Quapropter haud abs re esse putavi, quae de singularum animi adfectionum notis clarissimi viri tradiderunt inter se comparando, ex illis potiora aliqua excerpere, et praecipua nonnulla pathemata separatim, tum quoad illorum aspectum externum, tum quoad in animalem oeconomiam actionem, quamvis fortasse minus fuse quam par erit, demonstrare. Qua de re illud generatim minime praetereundam esse arbitror quod nonnunquam heri observatur, ut aliquis morbus a quodam animi pathemate ortus, postquam per aliquod tempus ita latuisset, ut omnino abiisse videretur, iterum doloso, ut ita dicam, quasi somno excitatus, rursus insurgit, cum illud pathema, quod ejus morbosae adfectionis causa fuerat, renovatur Id autem praecipue patet in iis, qui nimis exquisito nervorum sensu polleant, eoque magis in iis, qui in nervosos morbos quandoque inciderunt.

Inter excitantia grata pathemata in primis amor, gaudium et spes locum tenent.

Amor, praecipua illa lucis divinae derivatio, longe lateque per universum orbem diffusa, vitam effert, functiones omnes urget et concitat, ipsarum exercitium accelerat, omniumque ordinem atque harmoniam miro passim exhibito temperamento fovet ac tuetur, ita ut eum intra limites sese contineat, ad sublimia quoque compellat, uno verbo amor praecipuus fons conservationis, augmenti, renovationis humanae salutis evadit. Quod si autem limites praetergrediatur, et quod diligitur, aut haberi

lib.

nequeat, aut amittatur, tunc amor graves morbos parit, insomnium nempe, languorem, cibi fastidium, dementiam, lentumque demum interitum.

Sensatio illa grata voluptatis qua anima recreatur, ac tota exhilaratur in rei desideratissimae possessione gaudium vocatur: cujus très obtineat gradus, est scilicet *mite* quo in casu laetitia plerumque vocari solet; *aequo majus;* et demum *vehemens, inopinatum* ac *subitum*.

Laetitia vitae vim adauget, perspirationi ceterisque corporis functionibus favet, ad sanitatem et longaevitatem summopere confert, ideoque omni tempore utilis est retinenda

Gaudium quod pro sua varia vehementia plus minusve graves perturbationes excitat, in primis faciem rubore suffundit, vultum iodait hilaritate, ad risum, ad cantum, ad clamóres, ad saltationes, atque ad alios inordinatos atque inconcinnos corporis motus impellit; respiratio fit magis libera et celer, sanguinis cursus ocior evadit; hinc turgor et calor vitalis augetur, atque eainde ad caput ac pulmones variae sanguinis congestiones perficiantur; hinc inflammationes ac haemoptyses.

Quod si autem vehemens ac subitum fuerit, haemorrhagias varias, febrem acutam, animi deliquium, apoplexiam, epilepsiam, maniam, et mortem ipsam interdum importare potest. Et hoc historicae veritati nimum esse, nobis praeter alias Titus Livius testatur, qui duas mulieres romanas ex improviso adventu filiorum, quos in Cannensi clade vita functos existimabant, mortuas extemplo concidisse. Ita pariter

Google

mortem oppetiisse ferant Dionysium seniarem Syracusarum tyrannum, et Sophoclem ob subitum atque inopinatum nuntium allatum, alteri de victoria in olympicis ludis, alteri de magno plausu, quo populus suam tragoediam erat prosecutus.

Quomodo vero vehemens ac subitum gaudium tot ac tantas et inter se diversas perturbationes inducit? Varia est hac in re clarissimorum virorum sententia. Id fieri Sanctorius et Cheyn putant ex nimium aucta perspiratione, alii syncopem ob sanguinem ad extrema vasa impulsum, nec amplius ad cor redeuntem hoc causari autumant, aliique non pauci auctores huic opinioni patrocinantur, ut Hallerus et alii, ut putent vel saltem suspicentur, mortem illam subitam ab apoplexia repetendam esse, ex impetu sanguinis nimia cum copia in cerebrum influentis. Nihilo tamen secius et ista opinio non paucis laborat difficultatibus. Itaque ipse Hallerus fateri coactus fuit non satis novisse quomodo id fiat. Alii vero perturbationes a prima gaudii in cor actione desumpserunt; alii contra primigenam actionem ad cerebrum retulerant; quamobrem illi per sanguinis stimulum, isti vero per perturbatam vim nervorum motricem effectus istios affectiones explicare conati sunt.

Gratus ille animi sensus, quem experimur cum desiderio non fallaci in rem aliquam rapimur, spes appellatur. Hoc jam nomine tristitia, miseria, luctos dulciter moventur, atque inter teterrimas doloris tenebras, suavi quadam felicitatis umbra recreamur. Tu spes amica

egenos atque ignis solaris aegrotos sublevas, et ipsis jam jam moritaris praesens arrides. Haec ipsa tamen suavis et peratilis affectio malorum non est expers, si in animum incidat moerore, formidine ac desperatione quasi fractum.

Ut autem gradatim procedam, ad excitantia verum ingrata animi pathemata nunc mihi transeundum est.

Ira est violenta animi agitatio, cum validissima voluntatis reactione conjuncta, a malo quod ante oculos succurrit, excitata. Inde omnes fere animi corporisque vires praepropere excitantur atqua urgentur, cor validius contrahitur, et incrementum quodammodo accipere videtur; pulsus concitatior fit, corpus rubore suffunditur, turgent fulgentque oculi, muscali intendantur, strident dentes, indistincti clamores confuse extollantur, totumque corpus vehementi tremore corripitur. Atque ab hoc concitato et praepotenti sanguinis motu, haemorrhagiae in plaribus corporis partibus originem ducant, livontes maculae in cutis superficie enascuntur, et spasmo identidem oborto sanguis haeret, facies pallescit, balbutit lingua, tremunt artus, perspiratio augetur; secretiones salivae lactis et bilis pervertuntur, et indolem quasi veneficam induunt; non raro etiam epilepsia et lethalis apoplexia succedit. Praeterea cum hoc pathema jecur affinitate electiva diligere praecipue videatur, hinc hepatitidem natam esse, iterum, febrem acutissimam, choleram, volvulum funestum clarissimi auctores retulerant.

Perpensis igitur pathematibus illis quae vim vitae efferunt, nunc de illis quae imminuunt ac deprimunt, breviter verba faciemus.

Tristitia est conditio illa molesta animi dejectionis ab ingrata quadam sensatione inducta, cui voluntatis vires a violentia mali quasi debellatae infirmae respondent. Tristitia lente progreditur, nervorum robur, indaque vim vitae deprimit, perspirationem minuit atque coarctat, motum sanguinis retardat, inde difficilis fit lentaque respiratio, frequentia suspiria et insomnium parit, aversionem a cibis inducit eorumque digestioni officit. Cutis faciesque pallet, genae languescunt, oculi retrahuntur, motus muscularis lente ac tarde procedit; secrétiones et excretiones omnes turbantur. Hinc multae ac saepe saepius gravés affectiones procedunt, scilicet in imo ventre obstructiones, varii generis cachexiae, atrophia, febris hectica, melancholia; in feminis praesertim menstrui suppressio, chlorosis, hysteria; in viris hypochondriasis. Pathema istud febres omnes exasperat, et salutaribus naturae conatibus obsistit, virium dejectionem auget, et beneficam crisim avertit.

Corpus praeterea magis paratum reddit ad maligna et contagiosa miasmata. Moeror autem adeo vehemens et subitus valde animalem oeconomiam turbat, plures gravissimasque adfectiones at mortem ipsam extemplo producere valet. Habemus a Tissotio historiam cujusdam viri, qui ob conjugis obitum asthmate derepente correptus fuit, cui cum acria aliqua remedia exhibita fuerint, biduo

post mortuus est. In ejus autem cadaveris sectione indicia gravis inflammationis in pulmone observata fuere, et cor disruptum. Narrat Zimmermannus, quemdam Anglum ad conjugis sepulcrum accedentem, artuum vi prostrata in terram concidisse, et omnem in posterum loquelae usum amisisse. Ex tristissimo inopinato nuncio mortem sequutam fuisse, plurimae auctorum referunt historiae. Ex nimio moerore minus periculum quam ex nimio gaudio, et facilius ex hoc, quam ex illo mors subita contingit; cujus rei causam Zimmermannus esse putat, quod ex moerore retardatur motus sanguinis, at nutiquam perturbatur, quemadmodum ex gaudio. Observatur etiam insaniisse plures, qui multis sito aucti opibus divites evaserant, quam qui in paupertatem ex amissis fortunis lapsi sunt.

Metus est animi dejectio ab imminenti malo proficiscens. Effectus valde accedunt ad illos tristitiae, attamen cum in metu quoddam adjectum sit incitamentum, ideirco ex adversa oppositarum potentiarum actione eo magis vires perturbantur atque prosternuntur. Metus vim cordis imminuit, pulsum debilem inordinatumque reddit, autem pallidam et anseris instar efficit. Horror et animi deliquium hanc adfectionem comitantur, nec non membrorum rigiditas. Haemorrhagias, secretiones lactis et sudoris cohibet, harum vero novissimam, vel auget interdum, sed tunc sudor est frigidus, similis illi, qui a syncope et gravi debilitate procedit. Diarrhoea, icterus, canities, vigilia, anxietates hanc animi adfectionem sequuntur.

Ad haec flatus, ructus aliaeque perturbationes aegritudinesque oriuntur, quae indicant ventriculum et intestina naturalem vigorem amisisse. Sed et melancholiam inde enatam esse, delirium, paralyses, epilepsiam, apoplexiam, amaurosim et mortem ipsam multi auctores docuerunt; omnes vero norant, quantum metus valeat ad contagiorum virus accipiendum latiusque fundendum.

Terror a metu distinguitur in eo, quod metus est absentis mali formido; terror autem praesentis, subiti praecipitisque periculi perceptio, qua animus per plures inordinatos corporis motus illud omni ope arcere conatur; hinc actionum atque functionum harmoniam abripit, in aliquibus organis paralyses, in aliis vero contractiones ac convulsiones iudaceas. A terrore vires augentur, vehementes ac validissimi motus in universo corpore at corde excitantur. Cor moluliter palpitat, arteriarum pulsus frequentes, inordinati, omnes functiones turbatae; inde vero multa oriuntur mala, et praesertim epilepsia, mania, inflammationes, et quemadmodum notarunt Lancisius, Baillie aliique, cordis aneurysma at aliquando mors ipsa.

Subsequitur poenitentia sive maeror de crimine patrato, cui si jungatur desiderium capiationis, quae locum habere nequeat, omnes tristitiae taediique effectus succedunt qui ita hominem persequuntur, at somnum, cibum, amicos omniaque bona aversetur, neque aequam quiescat, usquedum exhaustis vitae viribus, diem supremum miserrime oppetit.

Quibus vero praesidiis impetum pathematum retrenare possimus illorumque effectus pervertere, et qua ratione affectionibus, quae inde existunt, occurrendum sit, summatim tantum attingam.

Praesidia quidem alia ad praecellentia Religionis praecepta, alia ad praecepta philosophiae pertinent; qua in re olim Stoicorum scholam excelluisse iutar omnes constat. Hoc in negotio magnopere etiam valet vitae institutam longa consuetudine firmatum et corroboratum, habita tamen ad corporis indolem et constitutionem non parva ratione. Quapropter necessaria, ut rita animadvertit Hippocrates, *mens sana in corpore sano*. Qui in ceteris omnibus ita praestiterunt, ut morbos quam longissime potarant, arcerent, ii minus vehementioribus animi adfectionibus obnoxii sunt. Hac de re illustra habemus exemplum in immortali libello *de vita sobria* Ludovici Cornelii veneti; saluberrimo enim hoc vitae genere non solum corpus intagrum atque incolume ad longaevitatem paravit, verum etiam ita animum suum adversus pathematum tempestates munivit, ut et difficilius ab ipsis corriperetur, et minus ipsa persentiret. Quapropter cum grave infortunium illius familiae accidisset, cujus causa ejus frater dolore obrutus mortem obiit, ipse illud satis tranquille tulit, ita ut nullam inde ejus valetudo perturbationem pateretur. Adfectionibus vero, quae ex pathematum actione reliquae sunt, auxilia ut similia sunt accommodata, quae eisdem morborum formis ex aliis remotis causis profici-

scentium mederi cognoscuntur. In hoc nihilominus habenda est ratio ad veram causam, scilicet ad pathema, a quo adfectiones illae originem ducunt; inde enim aliqua nonnunqaam naturae varietas exstat, simili externa facie donata.

670

THESES

I. Doctrina pathematum densa adhuc caligine obruitur.

II. Magis nocet nimius animi affectus, quam nimius corporis motus.

III. Non omnibus hominibus aeque facile concitantur animi affectus.

IV. Pathematum effectus atque vehementia magna ex parte pendent ex corporis ipsius varia conditione.

V. Improvisum gaudium magis nocet, quam praevisum.

VI. Nil magis reddit liberam perspirationem, quam animi consolatio.

VII. Laetitia moderata salutaris, per multos dies perseverans somnum impedit, et vires dissolvit.

VIII. Tristitia valde confert ad obstructiones efformandas.

IX. Qui ira vel laetitia afficiuntur, fere nullam in itinere defatigationem persentiunt.

X. Semper eadem animi pathemata magis debilitant, quam si inter se commutentur.

XI. Pathemata animi medicinis non superantur.

XII. Vita sobria magnum adversus noxium pathematum impetum praesidium.

Google